

pœnitentiæ sacramento idque aliquot ante festum ipsum diebus, ut otii plus habeant ipsi ad executiendum conscientiam, et animum sacramento præparandum; et facultas major sacerdoti sit ad singulos audiendos, quod minus commode utiliterque fit cum turmatim ad sacrum pœnitentiæ tribunal concurritur. Reliquum Decembrem ac Januarium [usque ad sacrum Deiparæ in templo expiatæ lucem,] collocant partim in piscatu, partim in facilitiori venatione perdicum, leporum, et aliarum id genus animantium: quo tempore vix pernoctant foris, sin illos vel asperum frigus, vel imber domi tenet, tunc navant operam texendis reticulis, quibus utuntur ad calcandas impune nives, cum majores feras per nemora et constratos nivibus altis campos sectantur. Earum vestigia, aut lustra, cum deprehenderunt, eò migrant cum tota familia, nec prius revisunt pagum et notos lares, quām vernus zephyrorum halitus nives solvere cœperit. Domum reversi, et Paschali dape refecti, agros Indico tritico conserunt, inde Fluminum ripas obsident captandis piscibus, aut annosas arbores in sylvis rimantur, quarum è corticibus cymbulas suas conficiant: iis compactis extremo ferè Sextili utilem medicamentariis herbam, nec levis in Europa pretii, colligunt, Capillarium pharmacopolæ vocant. Interim Indica seges maturescit, et circa Idus Septembres demetitur. Succedit Fibrorum venatio, quæ, ut modo dixi, ad Calendas Novembres producitur. Elucet in iis occupationibus eorum pietas, et summa qua sacerdotem